



## PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Prot. N. 109/13/I

### DECRETUM

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, vi facultatum sibi specialissimo modo a Sanctissimo in Christo Patre et Domino Nostro, Domino Benedicto Divina Providentia Papa XVI tributarum, Exc.mo ac Rev.mo Patri Domino **Michaëli Iosepho Asurmendi Aramendía, S.D.B., Episcopo Victoriensi**, benigne concedit ut, die XXV Septembris MMXIII, ipso quadringentesimo septuagesimo quinto anniversario Venerabilis Confraternitatis, sub invocatione Verae Crucis, post litatum divinum Sacrificium, impertiat omnibus christifidelibus adstantibus, qui, animo omnino elongato ab affectu peccati, unito corde cum spiritalibus Fidei Anni finibus iisdem sacris interfuerint, *papalem Benedictionem cum adnexa plenaria Indulgentia*, suetis sub condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communionem et Oratione ad mentem Summi Pontificis) lucranda.

Christifideles qui *papalem Benedictionem* devote acceperint, etsi, rationabili circumstantia, sacris ritibus physice non adfuerint, dummodo ritus ipsos, dum peraguntur, ope instrumenti televisifici vel radiophonici propagatos pia mentis intentione secuti fuerint, *plenariam Indulgentiam*, ad normam iuris, consequi valebunt.

Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Paenitentiarie Apostolicae, die XXVIII mensis Februarii, anno Domini MMXIII.

*De mandato Eminentissimi*



CHRISTOPHORUS NYKIEL

*Regens*



Ioannes Maria Gervais

*Ad. a Stud.*





## PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Prot. N. 108/13/I

BEATISSIME PATER,

Michaël Iosephus Asurmendi Aramendía, S.D.B., Episcopus Victoriensis, dum Sanctitati Tuae profundae filialis venerationis sensus promit, personam etiam agens sui cleri et christifidelium pastoralis suae curae commissorum, humiliter supplicat.

Die 25 Septembris 1538 erecta est Venerabilis Confraternitas, sub invocatione Verae Crucis, apud victoriense Sancti Vincentii templum. Ad hunc sacrum quadringentesimum septuagesimum quintum anniversarium diem digne commemorandum, vertente anno a die 21 martii usque ad diem 25 Septembris peculiaria indicta sunt spiritalia incepta, sollemnes processiones, peregrinationes atque iubiliares celebrationes.

Qui quidem pii futuri eventus ut digne recipiantur, opportuna suppeditabuntur catechesis et mediorum sanctificationis, prae primis SS. mae Eucharistiae et Paenitentiae Sacramentorum copia unde sperare licet fructus vitae Fide, Spe et Caritate informatae ad Evangelii normam, perfectius usque ducendae. Porro ad id multum conferet plenariae Indulgentiae donum, quod fidenter per praesentes imploratur a Sanctitate Tua, visibili nempe principio et fundamento catholicae communionis et unitatis.

Et Deus, etc.


Die 28 Februarii 2013

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, de mandato Summi Pontificis, *plenariam* libenter concedit *Indulgentiam*, suetis condicionibus (sacramentali confessione, eucharistica communione et oratione ad mentem Summi Pontificis) rite adimpletis, a christifidelibus vere paenitentibus lucranda dummodo, unito corde cum spiritalibus Fidei Anni finibus, alicui iubiliari functioni in honorem Verae Crucis devote interfuerint, concludendis Oratione Dominica, Symbolo Fidei atque invocationibus Beatae Mariae Virginis.

Sodales Confraternitatis infirmi, senectute, morbo vel gravi alia causa impediti, *plenariam* consequi valebunt *Indulgentiam*, concepta detestatione cuiusque peccati et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, si iubilariis functionibus se spiritaliter adiunxerint, suis precibus ac doloribus misericorditer Deo per Mariam oblati.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilius pro pastoralis caritate evadat, haec Paenitentaria enixe rogat ut moderator in spiritalibus prompto et generoso animo celebrationi Paenitentiae se praebeat et S. Communionem sodalibus infirmis saepe ministret.

Praesenti totum per spatium iubilaei Confraternitatis Verae Crucis valituro. Contrariis quibuslibet non obstantibus.



De mandato Eminentissimi

*Christophorus Nykiel*

CHRISTOPHORUS NYKIEL

Regens

*Ioannes Maria Gervais*

Ioannes Maria Gervais

Ad. a Stud.